

Hoc quidem, inquam ego, nemo nobis dicentibus dubitet, quod circa unumquodque, quod est unumquodque, illa alia tentat methodus recta via de omni sumere. Sed omnes aliae artes vel ad opiniones hominum et appetitiones sunt vel ad generationes et compositiones vel et ad [323] 5 curationem nascentium et compositorum omnes versantur, reliquae vero, quas dicimus entis aliquid attingere, geometriam et eas, quas hanc sequi videmus, veluti somniant circa ens, supra autem impossibile est ipsis ut videant, quousque hypothesibus utentes, eas immobiles sinant non potentes rationem ipsarum reddere; cui enim principium est, quod 10 nescit, finis^{xvii} vero et intermedia ex eo, quod ignorat complicatur, qua nam machina talem confessionem umquam scientiam fieri? Nulla, inquit ille. Non ergo^{xviii}, inquam ego, dialectica methodus sola hac greditur, hypotheses tollens ad ipsum principium ascendit ferme et re vera in coeno quodam barbarico animae oculum sepultum sensim^{xix} trahit et 15 reducit sursum adiutricibus et ductricibus utens iis, quas percurrimus artibus.

Hanc dialecticam paulo post ait esse:⁷⁴ *Veluti culmen disciplinae dialectica supra nos iacet et non quod alia disciplina superius recte superponatur.*

20 Iam sublimem ergo Plato nobis dialecticam tradidit, quae nos via certa ad primum principium atque veram verorum entium cognitionem duceret. Hunc usum Aristoteles eiusque Peripatetici omnes ignorarunt, quorum dialectica utilis tantum est, ne quis nos in contradictionem adducat, inter disputandum ad quam 25 utilitatem solam versa omnis eius exercitatio est. Atque hinc est, quod quadringentis iam annis nedum dialectica, sed philosophia quoque ipsa nihil aliud fuerit sitque adhuc in scholis quam lis et verbosa contentio. Ex quibus an Aristotelica dialectica sit Platonicae conferenda, facile omnes mente sani perspicere valent.

⁷⁴ ὥσπερ θριγκὸς τοῖς μαθήμασιν ἡ διαλεκτικὴ ἡμῖν ἐπάνω κείσθαι, [κείται] καὶ οὐκέτ' [οὐκ ὅτι] ἄλλο τοῦτου μάθημα ἀνωτέρω ὀρθῶς ἀν ἐπιτίθεσθαι. [PLATO, R. 534.e.2 – 4]

^{xvii} Corr. ex finem

^{xviii} Corr. ex nego

^{xix} Corr. ex sensum